



# Disputatio juridica inauguralis de compensatione

<https://hdl.handle.net/1874/342455>

10.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
COMPENSATIONE,

QVAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOAN NOTTELMAN, BATAVO-DURANUS

A. D. 14. Julii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz  
Typographi, clo Icc xc.

*Amplissimis, Gravissimis, Consultissimisque  
VIRIS,*

D. GERBRANDO SCHAGHEN, JCto.  
Urbis Batavo-Duranæ Consuli, avo  
suo quam plurimum venerando,

D. PETRO van DAM, JCto. So-  
cietatis Indiæ Orientalis Syndico, Pa-  
trono suo maxime observando.

N E C N O N

*Celeberrimo clarissimoque VIRO,*

D. JOANNI van MUYDEN, J.U.D.  
in illustri Ultrajectensi Lycæo Professo-  
ri Ordinario, Præceptori suo perpetuo  
colendo.

*Hanc Disputationem sacram esse vult*

JOAN NOTTELMAN.

*Auct. & Resp.*

# DISPUTATIO JURIDICA

## INAUGURALIS,

D E

# COMPENSATIONE.

## C A P U T I.



Ompensationis Vocabulum ab antiquo æris appendendi more, cum nondum nummi cuderentur, deductum est, nam trutinari olim aurum vel æs consuetum erat, cuiusce moris vestigium extat in l. 34. ff. de jur. dot: Compensare est quasi simul ponderare, ac retribuere.

*Val. Max. tarditatemque supplicii gravitate compensat. inde Zas. in d. bonæ fidei inst. de act. Compensatio est contributio debiti ad debitum hinc inde in vim solutionis comparatio. Vox Compensationis triplice modo sumitur. 1. Latissime pro quacunque adæquatione cujusque rei, quo sensu Imperator in societate lucrum & damnum compensari dicit §. 2. inst. de societ. 2. Interdum in media significatione pro quavis retentione etiam temporali, quæ in illis rebus quoque consistit, quæ alias compensari nequeunt l. 39. ff. de pign. l. 6. Cod. de revind. 3. Strictius sumitur pro retentione perpetua, quæ vim ac potestatem solutionis habet, & eo sensu vulgo sumitur, & definitur à modestino in l. 1. ff. b. t. de compens. Compensatio est de-*

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

biti & crediti inter se contributio. Compensatio tam ex naturali æquitate , quam ex civili ratione dimanat: æquitas naturalis in eo versatur , quod nostra intersit potius non solvere , quam solutum repetere *I. 3. ff. b. t.* & petere mox restituendum dolus est *I. 8. ff. de dol. mal. & met. except.* Ratio autem civilis in eo posita est , quod communis salutis intersit lites dirimi *I. 21. ff. de reb. cred. I. 4. §. 1. ff. de alien. jud. mut. caus. fact.* Lites enim sunt magna discordiarum semina: *Plato de leg. dial. 5.* admissa vero Compensatione multæ occasions litium præscinduntur , quoniam pecunia , quæ invicem debetur , quasi pensitetur , & sic quoad concurrentem quantitatatem attenuatur *I. 4. cod. b. t.* In hac materia tractanda præcipue hæc sequentia observabimus : inter quos locum habet compensatio : in quibus debitibus admitti potest , vel non : quæ sunt compensationis requi-sita : qui sunt ejusdem effectus.

## C A P U T II.

**C**ompensare possunt omnes quibus aliquid debetur , si illi vicissim debtoribus suis debeant , sive sint cuiusdam privati debitores , vel civitatis *I. 3. cod. b. t.* sive fisci *I. ult. ff. b. t.* excipiuntur tamen octo causæ , (quæ enumerantur in *I. 3. C. b. t.*) in quibus debtor fisci vel Civitatis nequit adhibere compensationem. Prima est. Si ex Kalendario conve-niatur *d. I. 3. C. b. t.* id est , quando pecunia à fisco ad-usuras dabatur , nam Kalendarium est occupatarum seu fænori collocatarum pecuniarum codex *I. 41. ff. de reb. cred. I. 39. §. 14. ff. de admin. tutor.* quia Kalendis fæ-

# INAUGURALIS.

fænori dabantur, & veteres Kalendarum nomine præscripto debitorum nomina præscribebant. Sic habet Seneca *l. 13. epist. divitem illam putas, quia in omnibus provinciis erat, quia magnus ei Kalendarii liber voluntur.* Horat. Epist. 11.

*Omnem relegit Idibus pecuniam  
Querit Kalendis ponere..*

2. Si a Fisco ob debitum vectigal compellatur *d. l. 3. C. h. t.* Vectigal generaliter dicitur quicquid Fisco vel Reipub. Imperii nomine præstatur. Publica vectigalia sunt ex quibus vectigal fiscus capit, qualia habentur vectigalia portus, venarium rerum, salinarum, metallorum, vel pisciarum *Vlp. l. 17. ff de verb. sign.*
3. Si conveniatur propter publicas pensitationes, id est, ex frumenti, olei publici, vel tributorum pecunia *l. 3. C. h. t.* Pensitationes publicæ secundum Azonem in summa Cod. *si propter. pub. pensitat. vend. fuer. celebr.* etiam dicuntur exactiones vestium, auri, argenti, quæ à certis Personis debebantur Fisco: sed & ea, quæ ad viarum vel pontium refectionem præstanta sunt, à possidentibus pensitationes publicæ vocantur.
4. Pecunia relicta Civitati in alimenta pauperum *d. l. 3. C. h. t. 5.* Nummi ad usus publicos designati *d. l. 3. C. h. t. 6.* Fidei commissum civitati vel fisco relictum.
7. Fiscus in re fisci ab ipso empta non patitur compensationem *d. l. 3. C. h. t.* 8. Si ex hac fisci statione mihi debetur, ab alia statione compensationem petere nequeo *l. 1. C. h. t.* Stationes (secundum observationes Cujacii ad *l. 1. C. ne fiscus rem*) sunt mansiones fiscales, in quibus officia fiscalia consistunt, & quia officia

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

inter se separata sunt, ideo non debent inter se confundi. Inter privatos secus est *l. 36. ff. de administ. tut.* nam non tanti refert privatorum administrationes quam fiscales, permisceri. Hoc quoad personam ipsius debitoris: sed prætenea. Procurator quoque in rem suam non tantum post, sed etiam ante litem contestatam æquitatem Compensationis uti potest *l. 18. ff. b.t.* quia tunc habetur instar domini, qui enim suo nomine utilles actiones habet, rite eas intendit *l. 55. ff. de Procur.* Q. an fidejussor compensare potest, quod sibi & reo principali debetur *R.* puto esse affirmandum, fidejussor enim habet optionem opponendi Compensationem de eo quod sibi, vel de eo quod reo principali debetur *l. 5. ff. b.t. Din. §. in bon. fid. num. 12. inst. de act.* etiam si esset fidejussor excommunicati, quia delictum rei non nocet fidejussori *l. fin. ff. de pac̄t.* quæri quoque posset, an Pater pro filio & filius pro Patre compensare possint. *R.* auth. habita Cod. ne filius pro patre regulariter patrem non obligat ad debita filii, ideo contra ipsum non objicitur obligatio, exceptio tamen est in peculio filii, quod devenerit ad manus patris *l. 9. ff. b.t.* sed filius paternum debitum compensare potest, ita tamen ut caveat patrem ratum habiturum *d. l. 9. §. 1. b.t.* emptor quoque, quod solvi debuit fundi liberandi causa, imputare in id prætium potest, quod debet venditori ex *l. 10. C. b.t.* nihil interest cuius conditionis aut ætatis sint, quibus compensatio objicitur, unde etiam Pupillis obrudi potest *l. 11. Cod. b.t.* & si duo iei promittendi socii sint, unus recte compensat, quod alteri debetur *l. 10. ff. de duob. verb.* Cæterum reus non potest marito de ea pecuniae summa objicere  
com-

compensationem , quam sibi uxor debet *l. i. & tot. tit.* Cod. ne uxor pro marito : quod tamen moribus non procedit , quando inter conjuges constituta est communio omnium bonorum *arg. l. 10. & 18. de dub. reis.*

## C A P U T III.

**C**ompensationi locus est , sive ex contractu , sive ex delicto debita profiscantur , atque perinde est , an ex vero , vel quasi contractu agatur *l. 5. 8. ff. h. t.* sive bona fidei sit sive stricti juris *§. 30. Inst. de aet.* antiquitus quidem haec differentia erat inter judicia bona fidei & stricti juris , quod in his compensatio fiebat opposita doli mali exceptione , in illis ipso jure : verum Imperator in *l. ult. C. b t.* hanc differentiam sustulit , consti- tuens ut in omnibus actionibus ipso jure locum habe- ret . si ex maleficio duo invicem convenient , dolus cum dolo , culpa cum culpa compensari potest secun- dum *l. 10. pr. & §. 2. ff. h. t.* id est , pecuniariæ actio- ni ex maleficio compensationem opponi , non pænali puta criminali : hinc queri potest , an injuriæ (ut si qua mulier , ab alia pellex nominata sit & ipsam mere- tricem appellaverit ) compensari debeant : id textus affirmare videtur , & *Ulpianus in l. 25. ff. de procur.* purgare convicium cuique permittit , idque eo magis , quia vita & fama comparantur . Non incommodè quæ- ritur , an etiam debitum naturale possit compensari Resp. affirm . nam ita expressis verbis docet *Ulpianus in l. 6. pr. ff. h. t.* ratio quoque illud suadet , nam com- pensatio nititur naturali æquitate *l. 18. ff. h. t.* æquitas autem

autem naturalis dictat, ut licet hujusmodi debitum jure civili exigere nequeam, tamen retentione me tueri possim adversus ipsum, qui vicissim à me debitum petit, nisi forte tale debitum naturale sit, quod in totum, vel quoad effectus principales destituitur juris civilis auxilio, ut obligatio ad ~~arridura~~ obligatio pupilli sine tute contracta, aut mulieris fideiijubentis, talis enim obligatio etiam compensari nequit.

## C A P U T IV.

Compensari nequeunt res diversæ quantitatis, ut vi-  
num cum oleo, secundum regulam, quæ dictat aliud  
pro alio invito reditore solvi non posse *I. 2. §. 1. ff. de  
reb. cred.* ex qua ratione quoque fluit, quod nec spe-  
cies cum specie, nec species cum quantitate compen-  
sari possunt, ratio quoque sita est in affectione, quæ  
circa species obtendi potest, quæ non est eadem causa  
circa quantitatem, cuius una species recte datur pro al-  
tera, cum non sit in suo genere fungibilis v. gr. in mu-  
tuo non valet æstimatio pro oleo debito, ita & in com-  
pensationem debita pecunia non admittetur, si oleum  
debeat *Paul. 2. sent. tit. 5. §. fin.* nisi res non habetur  
vel non facile sit ejus præstatio; interdum quantitas  
non potest compensari, sed debeat tanquam certa  
species, ut cum nummi certo loco sint circumscripti,  
*I. 47. §. 1. ff. de leg. 1.* quod autem posuimus speciem  
cum quantitate non compensari, illud ab aliis in quæ-  
stionem trahitur. Sed *I. 13. §. 2. in fin. ff. de pign. 5*  
*I. 4. 5 i. Cod. h. t.* militant pro nostra fententia, ex-  
cipitur

cipitur praeterea depositum *l. fin. C. b. t.* quia depositum alicui gratis custodiendum datur, & committitur fidei depositarii, ea lege ut deponenti restituatur, quandocunque petierit *l. i. § pen. ff. dext.* tamen non excluditur retentio ob impensas in rem depositam factas *l. 23. ff. depos.*

## C A P U T V.

**U**t autem debitum possit compensari requiritur *i. at* debitum sit liquidum, aut saltem incontinenti possit liquidari *l. ult. §. i. C. b. t. §. 30. inst. de aet.*: liquidum debitum est, quod jure aperto nititur, & nullis fere ambagibus innodatum est, exque ipsa adversarii confessione, vel ex re judicata constare potest *dicit. l. ult. C. b. t.* *2.* Debitum purum non in diem, vel sub conditione, nam debiti ex altera parte suspensi in diem vel conditionem non est Compensatio *l. 7. § 16.* *§. i. ff. b. t.* loci tamen adjectio non obstat compensationi *l. 10. ff. b. t.* nec temporis, quæ tacite adjectioni loci insidet *l. 3. §. 6. ff. de eo quod cert. loc. dar. oport.* *3.* Debitum non alternativum, nisi sit facta electio *l. 22. ff. b. t.* *4.* ut sit debitum earum rerum, quæ compensationem possint admittere, quales sunt ires non factæ *l. 31. ff. de solut.* *2.* Res quæ in quantitate consistunt, & quidem ejusdem generis *l. 4. § 5. C. b. t.* *3.* Res ejusdem qualitatis & bonitatis *l. 3. Cod. de reb. cred.* nihil tamen interest utrum ab una parte sub usuris, & ab altera parte sine usuris debeatur. *l. 11. § 12. ff. b. t.*

C A-

## CAPUT VI.

Ultimo loco placuit effectus ponere. Primus compensationis effectus est, ut ipso jure debitnm extinguat omnino, si æquale sit, alias pro concurrente quantitate l. 4. C. b. t. 2. Effectus est, quod per eam etiam accessiones obligationum delcantur, sic ab eo tempore non amplius prætentur usuræ, sive ex debentur ex mora, sive ex stipulatione, respectu quantitatis compensatæ, ac perinde est, an unus pecuniam sine usuris, alter usurariam debet l. 11. ff. b. t. aut invicem sit usuraria pecunia, & diversæ tamen sint usuræ l. 12. ff. b. t. hinc DD. concludunt, quod Emphyteuta negligens solvere Canonem, postquam Dominus ei pecuniam debere cepit, jus suum non perdit. Sed illa sententia (*secundum opinionem D. Böckelmanni*) non videtur simpliciter admittenda, quia Canon non tantum præstatur pecuniæ solvendæ causa, sed in recognitionem Dominii directi: unde si Emphyteuta velit compensatione uti, adhibere debet protestationem de Dominii agnitione: ad accessiones quoque pertinent pignora, quæ solvuntur quoque vi compensationis l. 12. C. b. t. sicut fidejussores ipso jure liberantur l. 43. de solut. liberato enim principali accessorium liberatur. 3. Effectus quod solutum post compensationem conditione repeti possit. l. 10 § 1. ff. b. t. l. 5. § 2. ff. de imp. in res dot. fact. l. 30. ff. de cond. indeb. 4. effectus quod fit pro solutione, unde sequitur, quod licet quis jurato promiserit se soluturum, salva tamen jurisjuran- di re-

I N A U G U R A L I S. II

di religione compensare possit, quodque judicati con-  
ventus compensetur arg. l. 2. Cod. b. t. res autem  
judicata, & jusjurandum æquiparantur. l. 2. ff. de ju-  
rejnr.

---

C O R O L L A R I A.

.I I V

I.

*Adoptio adfert nobilitatem.*

I I.

*M*ajor 17. annis potest esse procurator ad  
lites.

I I I.

*Scriptura non est de essentia Emphytenseos.*

I V.

l. 2. C. de resc. vend. non habet locum in  
transactione.

*Licet*

I N A U G R A V I S

V.

*Licet libellum mutare post litem contestatam.*

V I.

*Non necessarium est in libello exprimere no-  
nomen actionis.*

V I I.

*Si quis viciatam duxerit pro virgine, non  
dissolvitur matrimonium.*

V I I I.

*Non dantur actiones sua natura mixta.*

F I N I S.

